DIES DOMINI
ORATIO
IN PARASCEVE
AD S.MVM D. N.
VRBANVM VIII.
PONT. MAX.

Habita

A FRANCISCO BRIVIO MEDIOLANENSI
è Societate IESV.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
34.1.c.21

ROMÆ, Typis Vaticanis. M.DC.XXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO PRINCIPI ANTONIO CARD. BARBERINO Auenionenſi Legato.

HIERONYMVS BRIVIVS F.

NE in vmbris funeſtiſſimi diei ſine Sole nata ſemper in tenebris verſetur hęc mei fratris oratio, eam ad te deſero Magnanime ANTONI; vt illa humanitatis luce orationem reſpergas, qua oratorem ſæpius ornaſti, qua me tua in aula, hoc eſt in regia Solis degentem continenter illuſtras. Neque verò im-

prudens videar, quòd dolorum Dominum hìc deſcriptum offero Tibi, qui in dominatrice domo ſacri regni particeps non dolor es, ſed deliciæ generis humani. Eſt ſiquidem cur te quoque in dolores piè dominari iure merito dixerim. Dum enim liberaliſsima charitate tot miſerorum inopiam ſubleuas, calamitatibus proſpicis, ſane quendam exerces dominatum dolorum, quos alienis è cordibus expellis, vt tuo in corde dolorum Rex perpetuò viuat. Hoc igitur obſeruantiæ meæ, & pietatis Tuæ monumentum libens excipe, & diutiſsimè dominare. Vale.

ORATIO.

LACRYMOSVM Diuinæ mortis diem, Beatiſsime Pater, nemo nobiliori elogio inſigniuit, quam ipſe temporum artifex Chriſtus, dum ex omni mortalium, quos vixit dierum numero hunc vnum diem ſuum appellauit. *Ioan. 8.* Et verè ſuum dicere potuit diem illum, cuius vt ſe auctorem vnicum eſſe declararet, Solem quodammodo fugauit è cælo. Hunc cum videret diem gaudio exultaſſe dicitur *ibidem.* Abraham, nec mirandum eſt, quod non potius lacrymauerit. Luctuoſam quippe morientis Dei tragœdiam ſpectauit in lætiori ſcena Filij ſui à morte ſubducti; nec lugere debuit Pater cuius Filius in nomine riſum præferebat. Tu verò qui fabricatus es Auroram & Solem *Pſal. 73.* vtere die tuo; quo nempe omnia dedit tibi Pa- *Ioan. 13.* ter in manus. Quid enim tuis denegauit manibus, in quibus Crucem, hoc eſt mundi ſceptrum, & clauos rerum omnium claues collocauit? Vſus eſt quidem ille ſorte ſua: Dominum ſe ſe hodiè palam exhibuit, dominum inquam non regnorum, ſed dolorum, ex voto

ſuo vitam hodiè traduxit, quia ſuo ex arbitrio longam mortem oppetijt; & hoc vno huius diei patuit dominator, quod tributa pœnarum vndecunque inſigni auaritia charitatis exegit. Age igitur diem Domini nouo dominandi ritu conſpicuum intueamur. iam enim aſpirat dies, & inclinantur vmbræ, aut potius conſurgere incipiunt ſimul cum die vmbrę dolorum. A conuiuio acerbum diei ſui dominatum auſpicari voluit; vt ante omnia epularum delicias efficeret amaritudinis vectigales. Ecce enim conuiuam habet mortem, quæ in ore Iudæ tanquam in idonea ſede recubens buccellam vitæ comedit; nec tamen viuere incipit, ſed crudelior & lethalior facta paulo poſt conuiuatori ſuo pro gratijs proditionem hoc eſt pœnarum omnium libamentum in oſculo porrexit. Satiatis æterno pane diſcipulis ipſe nondum ſatur, quia nondum felleis lautitijs meridiatus ad menſam crucis, diuertit in villam Gethſemani imperaturus terræ, quæ noui Adami innocentiam reuerita ſpinas illi germinare recuſaſſet, imperaturus inquam terræ, vt ſibi dolorum Domino ſpinas præparet. Quis ignorat aſtum Romani Principis, qui in horto excelſiorum capita florum decutiens hoſtilis vrbis dominatum occupauit. En alio in horto mun-

Cant. 4.

Tit. Liu. dec. 1. lib. 1.

di

di princeps, idemque flos campi celſiſsimus vltro demiſſo capite in faciem ſuam procidens pœnarum imperium felicius inuadit. Sed parum eſt dolorum Principi ſeruire terram dolorum patriam. ſeruiet etiam cælum licet doloris infæcundum. Adeſt enim Angelus conſolator ſimul, ac tortor illuſtris; qui dum remedium adhibet amara malorum commemoratione vulnus exacerbat. Angelo terreſtris Paradiſi, atque horti primæui cuſtodi ſimilem dicerem hunc Angelum alterius horti hoſpitem, niſi huc acceſſiſſet non vt ab hoc portentoſo Paradiſo pœnarum Chriſtum arceat, ſed vt eum inibi dolorum ſuorum cogitatione defixum diutius retineat. Quid verò ſudor corporis ſubalbidus ſanguineas rubeſcit in guttas? Nouus certe Moyſes fluuium non ex Ægypti terra, ſed ſuomet erumpentem è corpore prodigioſum vertit in ſanguinem. Heu durior obdurato Pharaone Hieroſolyma. Fluuiali hoc ſanguine nihil commota, non tu nunc ſacrificaturum Moyſem tuum retardabis, ſed eum ipſum impiè religioſa ſacrificabis. Fortaſſe etiam egreſſus erat in villam Dominus dolorum, vt videret an floruiſſent mala Punica; cum repente pulcrho miraculo, ſanguineo rore perfuſus ipſe inſtar mali Punici totus effloruit.

Cant. 2. *Geneſ. 3.* *Exod. 7.* *Exod. 5.* *Cant. 7.*

Exeun-

Exeundum tamen eſt ex horto . à faſciculo
Cant. 1. myrrhæ, quem florens Gethſemani villa obtulit pergendum eſt ad faſcem Crucis, quem horrida Caluariæ montana præbebunt. Video enim Prætoris cohortem ideſt Prętorianos dolores qui pœnarum Regem crudeliter officioſi aſsiduè ſtipabunt. Ergo rapitur ad Pontificem Sacerdos æternus, Pontifex futurorum
ad Heb. 9. bonorum, vt etiam Sacerdotio dolorum die hoc ſuo initietur hoſtiam deinde pœnarum regno conſentaneam id eſt ſe ipſum immolaturus. In Prætorium diſcedit ad Romanos rerum dominos, vt bellicoſæ ac triumphatrici
Ierem. 11. nationi ſe Dominum exercituum probet tractatione non armorum, ſed dolorum; triumpho non maieſtatis, ſed Amoris. At Prætor nouum hunc dominatum aut deſpiciens, aut reformidans contemplandum mittit Herodi Galilææ domino libidinis ſeruo. Hic alicuius prodigij videndi cupidus portentum exhibet ipſe: nempe innocentiam rarò in mali Principis aula fulgentem, in alba veſte ſuo indutam colore oſtentat; & regnatori pœnarum ſeruit; dum ei in pœnam etiam integritatis inſignia ſtolidè conuertit. O flebiles rerum
Matth. 7. vices. Siccine veſtimenta alba ſicut nix iterum te bone IESV transfigurant, & Domi-

num

num declarant non gloriæ, ſed miſeriæ? Candidus iam eſt à ſtulto Rege, rubicundus vt fiat *Cant. 5.* ſponſus ærumnarum, redire neceſſe eſt in Prætorium. Ruborem enim aptè inducet Roma purpuræ domina. Ecce autem purpuraſcit ſuo primum ſanguine prope columnam veluti prope ſcopulum murice feliciter inuento; & Vlyſs. Aldou. de Teſtac. l. 3: flagris non vno genere repetitis verè bis tincta Plin. l. 9. nat. induitur purpura: tum etiam iniectu coccineæ hiſt. cap. 39. chlamydis iterum rubeſcit; atque vt Romano more veſtiatur laticlaui tunicam adornari vi- Suet. in Cæſ. deo, clauos videlicet illos, qui paulo poſt ſanguinis purpuram non aureo, ſed ferreo textili crudeliter diſtinguent. Indumento corporis regio congruit tegmen capitis, quód ſpina *Iudi. 9.* plantarum imperatrix in coronam imperatoris dolorum acutè contexuit. O diuinum caput candor lucis æternæ vere nunc lilium inter *Sapient. 7:* ſpinas. Quamquam en vt ſpinæ ſanguinem *Cant. 2.* elicientes diuinum lilium in roſam commutant. quin imò inuerſa vice non ſpinæ roſam præcingunt, ſed roſæ defluentis ſanguinis ſpinas coronant. Antea tantummodo terra ſpinas ferebat; nunc cælum quoque caput nempe hoc cæleſtiſsimum ſpinas ferre cepit. O veſtram nobilitatem eximiam ſpinæ fortunatæ. hactenus ad inſidias humanorum pedum humi

repta-

reptaſtis; nunc ad coronam diuini capitis ò quantum aſſurgitis. Dignæ eſtis quæ cælo infixæ aculeatos ſyderum radios augeatis; & par eſt vt cæleſtibus è ſignis corona illa ſtellarum expulſa eluceſcat in poſterum in cælo corona ſpinarum. Hunc in modum ritè coronatus, & fide per arundinem leuiſsimam data adoratus miſeriarum Dominus aſcendit in montem ex-
Pſal. 77. celſum, montem quem acquiſiuit dextera eius;
Pſal. 109. atque hic, ſi vnquam alibi, dominatur in medio inimicorum ſuorum. Siquidem palam denudatus ſtilo flagellorum, & caracteribus vul-
Apoc. 19. nerum ſcriptum oſtendit in ſemore Rex dedecorum, Dominus dolorum. Iam Libani cedrus immortalis in patibulum diræ mortis conuer-
Cant. 1. titur. Botrus Cypri dulciſsimus in poculum aceto, ac felle permixtum amareſcit. Manus
Cant. 5. olim tornatiles aureæ, nunc cruce complanatæ, plenæ ſunt non ferrugineis, ſed ferreis hyacinthis. Sol in gratiam aliorum curſum con-
Ioſue 10. tinere aſſuetus, huic vni ne fulgeat, occidit ante occaſum. Veſtem qua ſudore, qua cruore, qua luto reſperſam, & plane polymitam non
Geneſ. 37. alieno, ſed ipſius Domini ſanguine tinctam miliſtaris ludus oſtendit Patri, & fidem facit, Filium à Iudæa fera peſsima deuoratum. Tandem miſerrimo dominatu feliciter perfunctus

mori-

moritur in lectulo Crucis, in culcitra plagarum, ſub conopeo meridianæ caliginis, atrato tenebris cælo, terra ſanguine purpurata. Sinite iam milites inhumani, vt demortuum corpus in ſepulcrum deferatur, aut potius in nidum, in quo pœnis mutatis in pennas diuinus dolorum Phœnix renaſcatur. Quò enim quò illa dirigitur lancea in corde Domini perſcrutando acuta nimis, & lyncea? Ah non Abſalonem quercui affixum moribundum, ſed Dauidem iam mortuum hæc lancea transfigit. Satis eſt vulnerum, Domine. Nemo dominationem vltra vitam extendit; niſi fortè ſolius dominatoris dolorũ poteſtas trans mortem peruadit; vt qui occiſus ab origine mundi vulnera ferre cepit propè antè quam viueret, etiam poſtquam eſt mortuus vulneretur. Habeo tamen gratiam huic lanceæ vulnerariæ, quòd breuis mortis noctem dormiente Domino cor eius vigilare demonſtrauit; quòd patefacto latere diuinum nobis cor aqua & ſanguine rorans, ideſt beatam regionem lacte, & melle manantem reſerauit; quòd cum oris labra Dominus clauſiſſet, labra cordis aperuit, vt nobis etiam loqueretur ad cor; quòd dum ſacrum latus recluſit, & cor, hoc eſt Solem iam extinctum oſtendit, Diem Domini clauſit.

2. Reg. 18.

Apoc. 13.

Cant. 5.

Deuter. 6.

Oſe. 2.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE